



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. Quid sit adulterium, & quibus modis committatur?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

T I T V L V S XVI.  
DE ADULTERIIS ET STUPRO.

S E C T I O I.

*De crimine adulterii & ejus penis.*

§. I.

*Quid sit adulterium, & quibus modis committatur?*

**A**dulterium est alieni thori violatio, duplicem malitiam continens, unam luxuriæ, in quantum est copula viri cum femina extra conjugium, & injustitiæ, quia est cum femina alterius uxore, huic, ut suo marito ab auctore naturæ DEO, adstricta, cui juri cedere non potest maritus, aut uxor. Quod si tamen solutus rem habet cum uxorata, aut conjugatus cum soluta, simplex dicitur adulterium, & de jure civili pænæ in adulteros constitutæ in tali casu locum non habent, sicuti locum habent etiam de jure civili, si conjugatus cum conjugata aliena copulam habeat, quod adulterium duplex dicitur tam ex parte viri, quam ex parte feminae.

§. II.

*De accusatione criminis adulterii.*

**A**n te omnes alios ad accusandum crimen adulterij admittitur innocens

maritus, (cùm hujus vel maxime inter sit, fidem conjugalem sibi servari) nisi colludere magis cum uxore adultera videatur, aut ex alio capite infamis arguatur, ut non accusare possit jure mariti, sed jure extranei, quo in casu præferretur, quoad accusandum adulterium, pater adulteræ, qui etiam nolente marito agere, ad accusandum filiz suæ adulterium admittitur, & post eum propinquus alij, ac tandem extranei, cùm adulterium inter crimina publica numeretur, ad quæ accusanda quilibet de populo admittitur, dummodo sit mas, & major 25. annis. Neque tamen ad accusandum mariti adulterium de jure Civili, si criminaliter ad legalem pænã agat, tam facile admittitur uxor adulteri hujus, cùm major ab uxore debeatur reverentia marito, & majus delictum uxor committat adulterando, quam maritus &c. de jure tamen canonico, secundum quod pari iure damnatum est tam viri, quam mulieris adulterium, hoc non procedit, cùm utriusque parti innocenti plena potestas sit de adulterio criminaliter etiam accusandi iuxta *Can. si quis 4. caus. 32. q. 1. junct. Gloss. V. ad imparia*, ubi dicitur, quod vir & uxor in adulterio deprehensi non iudicentur ad imparia quoad debitum reddendum, divortium, & accusationem.

Debet autem accusatio adulterii fieri,  
si